Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2319

Quelle:
Copyright:

Felice creato Cardinali, de quo adeundus *Car. Meichelbeckius* T. II. *Hiſt. Friſing.* P. I. p. 240. Idem agit de *Kekio* noſtro *Suevo Giengenſi* cum alias, tum P. II. p. 233. ubi inter alia ejus Scripta, quae enumerat, et in Monaſterio *Tegernſ.* adſervari dicit, noſter imminit, quin tamen exprimat, quid in eo adſeratur. Adſeritur vero *Capitibus* IV. Concilium *Baſil.* legitime et coeptum et continuatum fuiſſe, ſententiam depoſitionis *Eugenii* ad fidem, ſchiſmatis extirpationem et generalem eccleſiae in capite et membris reformationem pertinere, et in tribus his Concilium errare non poſſe, omnia ſat docte, ſed paullo mordacius. Sub finem *Stanislaum* quendam *Bohemum* in Tractatu *de Corpore Chriſti* ait adſeruiſſe: *quod in altaris ſacramento cum corpore chriſti eiusdemque ſanguine precioſo panis et vini ſubſtantia remaneat et non ſola accidentia. — Quem ſuum errorem dudum catholica illa theologorum ſcola alme vniuerſitatis ſtudij wiennenſ. fortiſſimis rationibus — efficaciſſime exterminat.* An is *Stanislaus de Znoyma?* At vere ille Tractatum ſuum *de non remanentia ipſarum ſubſtantiarum panis et vini* inſcripſit, ut non ſemel a nobis relatum. Niſi dicas, Virum meliora tunc edoctum παλινωδιαν ceciniſſe, quemadmodum et *Huſso* amicitiam renuntiaſſe alibi diximus. Ceterum *Joh. Keckius*, non *Kockkius* ut T.V. *Concill. Germ.* p. 282. erratum eſt, Monachus *Tegernſeenſ.* O. S. B. deinceps in Lexica cooptandus foret. Atque hic egregii Codicis Eccleſiaſtica finiunt. Jam adnexa videamus.

XV. *fol.* 219. *Hec ſunt breuiter et ſumatim collecta ex tractatu de preſeruacione a peſtilentia ex auctoribus ſapientum medicine fulcita compilata per magiſtrum cardonem de ſponſotis de mediolano phiſicum magnifici domini domini galeaz domini Mediolani &c. M° CCC° 19^no^ menſ. octobris in nobili ciuitate Mediolani.* Error in anno; *Galeatius* enim *Vicecomes* non niſi anno 1322. dominatum adeptus eſt. *Cardo* ſeu *Tardo de Sponſotis* ſeu *Sponſatis* ignotum Lexicographis nomen. Ordinem Opuſculi e principio diſces: *Primo igitur ponatur regimen ſex rerum non naturalium cum annexis, et poſtea regimen medicinarum.* Atque in his pro aevi more regnant Aromata.

XVI. *fol.* 225. Tractatus medicus ἀνεπιγραφος de variis morbis, eorumque remediis hoc ingreſſu: *Animaduertite quod medicine in omnibus morbis diuerſificantur et principaliter in paraliſi ſecundum complexionem hominis* &c. Ita omnia velut ad Auditores diriguntur. *Fol.* 233. p. 2. ubi inter quatuor anni vices et totidem Hominis aetates inſtituitur comparatio, haec legas: *Heu Albicus perdidit et pertranſiuit tam tempus vernale quam eſtiuale* &c. Item: *Sic iſta etas tercia, in qua pauper Albicus exiſtit, iam exiuit* &c. Demum: *Sic ego Albicus in etate ſenectutis poſitus — adpropinquo ad yemem.* Habes igitur *Albicum Moravum Uniczovium*

Wen-